

EPISTULA LEONINA

L

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM
 QUINQUAGESIMAM (50) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod post pausam longiusculam mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quinquagesimam. En habemus iam dimidiam iam hecatomben talium Epistularum.

Laetê tibi annuntio RECITATOREM, i.e. librum illum a Bernhardo Schlink scriptum et a Stephano Daldry ad cinema redactum, nunc tandem a me in Latinum conversum e domo Leonis Latini in lucem editum esse.

Hac in Epistulâ Leoninâ quinquagesimâ abundê describuntur et auctor et argumentum huius fabulae laureatae.

In fine invenies indicem vocabulorum copiosum, qui spectat ad auturgiam.

Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae Quinquagesimae.

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Saturni, 10. m.Nov.
a.2012**



**ΠΑΝΤΑ ΡΕΙ
OMNIA FLUUNT**

HERACLITUS EPHESIUS
(* ca. 520 a. Chr.; † ca. 460 a. Chr.)



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

PRAEFATIO INTERPRETIS

Cara Lectrix, care Lector,

«habent sua fata libelli». Hanc enim fabulam in Latinum convertere coepi anno MMIV, quo decem ferè annos in paeninsulâ Coreanâ versatus in patriam eram reversurus. Modo demum epistulam acceperam a Stanislao Tekieli, qui me invitaverat, ut fabulas Latine redditas êderem in novâ ephemeride interretiali Latinâ a se conditâ. Deinde in patriâ reversus multis aliis laboribus obrutus sum: primo domum Leonis Latini editoriam condidi, deinde illam cramben coepi tractare, quae repetita a Iuvenali in Saturarum libro septimo dicitur occîdere miseros magistros. Nam – eheu! – Latinis libris publicandis vitam sustentare non poteram. Itaque in Recitatore edendo secutus sum Horatium, qui suadet, ut opus «nonum prematur in annum».

Pauca accipe de ratione versionis meae: In glossario ad sensum verborum rariorum recentiorumve explicandum attuli vocabula theodisca et anglica, saepius addidi locos testes necnon glossas Latinas.

Quantitates vocalium in ipsâ versione indicavi ibi, ubi conferunt ad verborum formas significationesve inter se distinguendas; in glossario omnes vocales longas lineolâ rectâ superpositâ, accentûs autem verborum suppositâ indicavi.

Ceterum in fabulis modernis Latine reddendis nequaquam difficillimum omnium est invenire vocabula Latina ad res

technicas modernas denominandas. Talia normis verba componendi antiquis observandis et nominibus romanicis et neograecis adhibendis haud nimiâ cum difficultate solent confingi. Iam pridem habemus vocabula, qualia sunt autocinetum et telephonum et computatrum; facile fuit fingere aeroplanum polypyraulicum necnon scopocasetarum commodaturam. Multo autem difficilium est in Latinum convertere descriptiones hominum poeticas, aspectum corporis animique commotiones. En habeas nonnullas sententiolas Recitatoris originales et compares easdem cum versionibus meis:

«Hohe Stirn, hohe Backenknochen, blaßblaue Augen, volle, ohne Einbuchtung gleichmäßig geschwungene Lippen, kräftiges Kinn. Ein großflächiges, herbes, frauliches Gesicht. Ich weiß, daß ich es schön fand». (cfr pars I, cap.3).

«Als wir uns liebten, hatte ich das Gefühl, sie wolle mich zu Empfindungen jenseits alles bisher Empfundenen treiben, dahin, wo ich's nicht mehr aushalten konnte». (cfr I,16)

«Ich sah die Erwartung in ihrem Gesicht, sah es in Freude aufglänzen, als sie mich erkannte, sah ihre Augen mein Gesicht abtasten, als ich näherkam, sah ihre Augen suchen, fragen, unsicher und verletzt schauen, und sah ihr Gesicht erlöschen». (cfr III,8)

His et aliis huiusmodi diligenter inter se comparatis, lectrix benevola, lector benevole, aequè atque consideratè iudicabis, utrum toga mea Recitatori conveniat necne.

Denique magnas gratias ago uxori meae carissimae *Hyunsook Youn-Groß*, quod me multimodis adiuvit.

Die Veneris, 8. m.Iunii a. MMXII

Nikolaus Groß

Bernhard Schlink



Bernhardus Schlink

Bernhard(us) Schlink (*d.6. m.lul.a.1944 in oppidulo *Großdornberg*, quae hodie est tribus urbis *Bielefeld* in Rhenania-Vestfaliâ sitae. Îdem est iurisconsultus Germanus et auctor fabularum. Eius fabula romanica,

quae inscribitur *Der Vorleser* (RECITATOR), intra et extra Germaniam factus est liber venditione praecellentissimus.

Bernhardi Schlink pueritia et familia

Bernhardi pater, *Edmund Schlink*, fuit professor theologiae Heidelbergensis, eius amita *Basilea Schlink* condidit religiosum ordinem evangelicum, eius avus *Wilhelm Schlink* fuit professor mechanices. Bernardi frater *Wilhelm Schlink* in universitate studiorum Friburgensi professor historiae artis figurativae fuerat, usque dum semestri annorum 2004 et 2005 hiemali rude donatus est. Familia Bernardi Schlink brevi postquam îdem natus est, sedem movit Heidelbergam; ibidem Bernardus degit suam pueritiam. Eidem est filius, qui factus est medicus dentarius.

Bernhardus Schlink iurisconsultus

Bernhardus in Heidelbergensi Universitate studiorum Ruperti Caroli et Berolinensi Universitate Liberâ studuit iurisprudentiae pernoscendae. Munere assistentis scientifici functus est in universitatibus Darmstadtensi, Bielefeldensi, Friburgensi. A.1975 Heidelbergae promotus est ad Doctorem iuris (titulus commentationis doctoralis fuit: *Abwägung im Verfassungsrecht*, ed. a.1976) et a.1981 habitatus est Friburgi Brisigavorum (opere iuridico, c.t. est *Die Amtshilfe. Ein Beitrag zu einer Lehre von der Gewaltenteilung in der Verwaltung*, ed. a.1982). In Associationis Germanorum ius politicum docentium conventu Hanoverensi a.1989 Bernardus rettulit de *Die Bewältigung der wissenschaftlichen und technischen Entwicklungen durch das Verwaltungsrecht*.

Ab a.1982 usque ad a.um 1991 Bernardus fuit professor iuris publici in Universitate Rhenanâ Friderici Vilelmi Bonnensi et ab a.1991 usque ad a.um 1992 professor iuris publici, iuris socialis, philosophiae iuris in Universitate [Iohannis Volfgangi Goethe](#) Francofurti ad Moenum. Ab a.1992 usque ad a.um 2009 in Universitate Humboldtianâ Berolinensi cathedram tenuit iuris publici et philosophiae iuris. Eius successor factus est *Christophorus Möllers*.

Inter Bernardi auditores refertur *Ralf Poscher*, qui docet in Universitate Alberti Ludovici Friburgensi. Ab a.1987 usque ad a.um 2006 Bernardus Schlink fuit iudex in Monasteriensi Aulâ Iuris Constitutionis terrae

foederalis Rhenania-Vestfaliae. Mense Augusto a.2005 Bernhardus Schlink causam defendit gubernii rei publicae foederalis coram foederali iudicio constitutionali, cum duo legati populares accusarent praesidem foederalem *Köhler*, quod decrevisset, ut foederalis conventus legatorum dissolveretur et suffragia denuo ferrentur.

Bernhardus Schlink est membrum curatorii primi periodici iuridici Germanici interretialis, c.t. est *Humboldt Forum Recht*. Hodie Bernhardus vivit et in *Berkshire* urbe Massachusettianâ et in urbe *Berolino*.

Bernhardus Schlink auctor fabularum



Ecce Bernhardus Schlink librum nomine suo signans

A.1987 Bernhardus Schlink invitatus est ab Universitate Aquarum Sextiarum (*Aix-en-Provence*). Îdem per tres menses habitavit apud amicum *Valterum Popp* incolam illius urbis. Cum uterque saepe legeret fabulas criminales, statuerunt, ut ipsi unâ talem fabulam scriberent. Eorum fabulâ criminali communi, c.t. est *Selbs Justiz*, agitur de *Gerhardo Selb* detectore privato 68 annos nato, qui quodam casu sibi mandato reducitur ad vitam suam priorem, in qua aetate socialismi nationalis munere functus est actoris publici.

Postquam Bernhardo fabula cum altero auctore scripta bene successit, sequentes scripsit sine auctore altero, velut fabulam criminalem *Die gordische Schleife*, quae a.1989 praemio Friderici Glauseri est ornata. Etiam in hac fabulâ persona praecipua est vir quondam iurisconsultus, *Georg Polger*, qui munere translatoris fungens sedem movet in Francogalliam meridionalem, ubi eo quod transfert ideographias helicoptera pugnatoria construendi, petitur a grege speculatorum secretorum. Trilogia autem detectoris *Gerhardi Selb* a Bernhardo finita

est fabulis, q.t. *Selbs Betrug* (Germanico praemio fabularum criminalium ornata) et *Selbs Mord*.

Dorothea Nolte de Bernhardi fabulis Selbianis sic iudicavit: „Quae sunt vegetè scriptae, saepe iocosae fabulae romanicae, quae – locorum periti recognoscent vias aedificiaque – aguntur in urbe Manhemiâ eiusque circumiectis; fabulae subtiliter compositae, quibus insunt et res politicae temporis hodierni et transacti.“ Bernhardus ipse putavit fabulis criminalibus fieri posse, ut sibi proponeret problema solvendum similiter ac hoc faceret in rebus iuridicis. Praeterea fieri posse, ut argumentum talis fabulae tractaret quadam cum societatis consideratione criticâ.

Fabula romanica Bernhardi prima non-criminalis a.1995 in lucem edita, quae inscribitur *Der Vorleser (Recitator)*, intra et extra Germaniam factus est liber venditione praecellentissimus. Eadem fabula conversa est in 40 linguas (postremum in Latinam), editio Americana assecuta est locum primum indicis librorum plurimè venditorum ephemeridis *New York Times*. „Recitator“ honoratus est praemio *Iohannis Fallada* (a.1998), Italiano praemio litteraturae, quae appellatur *Grinzane Cavour* (a.1997), praemio Francogallico litteraturae in Francogallicum translatae omnium maximè dotato, i.e. *Prix Laure Bataillon* (a.1997). A.2008 fabula Bernhardi a *Stephano Daldry* dissignatore ad cinema redacta est.

Etiam collectio narrationum, c.t. *Liebesfluchten* („Fugae amoris“) a.2000 plurimum vendita est. A.2008 *Richardus Eyre* narrationem ex eodem tomo excerptam, quae inscribitur *Der Andere*, ad cinema redegit, cuius participes sunt histriones *Liam Neeson* et *Antonio Banderas* et *Laura Linney*.

Beata Dreike dicit Bernhardum libris suis saepe tractare ius iustitiamque. Verbi gratiâ in fabulis Selbianis lex probatur esse instrumentum parum aptum ad facinora diu ante commissa iustè aestimanda, necnon „Recitatorem“ legens quaerat quispiam, quomodo de facinoribus sub alio systemate iuris commissis iudicandum sit. Auctor autem ipse huius libri cum hanc quaestionem in dubio relinquat, a nonnullis vituperatus est.

Bernhardus Schlink, cum in colloquio interrogatus esset, quare scriberet fabulas, sic respondit: „Fabulas scribo“ inquit „eâdem de causâ, qua alii legunt: Homo non vult unam tantum vitam vivere.“

RECITATOR



Bernhardus Schlink (a.2008)

Recitator est fabula romanica a Germano auctore *Bernhardo Schlink* scripta et a.1995 edita.

In parte primâ huius fabulae tripertitae plurimum exhibetur inaequalis res amatoria, quam *Michael Berg*, narrator primâ personâ narrans, habet cum *Hanna Schmitz*, muliere, quae 21 (viginti uno) annis maior natu est. Sequentibus autem fabulae partibus *Bernhardus Schlink* iurisconsultus et auctor in narrando magis magisque vim attribuens quaestionibus moralibus perquirat, quid annis saeculi praeteriti sexagenariis in re publicâ Germanicâ foederali factum sit de illis, qui commisissent scelera holocausti.

Hic liber in 40 linguas conversus est (quarum ultima est Latina). In Americae Civitatibus Unitis (USA) a.1997 sub titulo *The Reader* editus plurimum venditus est.

Argumentum

In fabulâ romanicâ tripartitâ, quae inscribitur *Der Vorleser*, narrator primâ personâ annis saeculi praeteriti nonagenariis narrat, quid expertus sit adulescens.

Prima pars

In initio partis primae *Michael Berg* narrat se aetate quindecim annorum incidisse in morbum arquatam (i.e. icterum). Ei in alicuius domûs introitu vomenti subvenit mulier quaedam ignota, quae postea dicitur esse *Hanna Schmitz* functionaria transviae¹ 36 annos nata.

Postquam Michael reconvaleuit, Hannam in eius habitaculo visitat, ut gratias agat. Cum mulier coram puero vestimenta permutans animadvertat illius libidinem excitari, puer aufugit. At in alterâ visitatione fit actus Veneris, quo incohetur res amatoria inaequalis, quae tractatur fabulae parte primâ.

Michael statuit, ut scholam pergat frequentare, sed quibusdam horis institutioni deest, ut degat apud Hannam. Cum eadem hoc accipiat, negat se conventuram esse Michaelem, nisi is pro scholâ didicerit quam sedulissimê. Nunc mulier adulescensque incipiunt quodammodo ritum excolere primo unâ balneandi, deinde coeundi, tum recitandi libros, qui sunt primo in scholâ sunt tractati, postea etiam a Michaele electi. Interdum lites habent, quarum causas Michael saepe non intellegit, sed culpam in se convertit, ne ab Hannâ puniente recusetur.

Novo anno scholari ineunte Michael cognovit Sophiam, quam cum Hanna comparat. Quia nunc plus temporis degit cum condiscipulis, Hanna ad se minus valet quam antea. Quo artius se adiungit Sophiae sodalibusque classis suae, eo magis Michael sibi videtur Hannam prodere. Hanna autem, cum improvise apparuerit in natabulo et illum observaverit inter coaequales versantem, evanescit. Michael illam postridie in habitaculo locoque operandi quaeritans accipit Hannam brevi postquam sibi praebita esset dignitatis accessio, sedem mutavisse Hammaburgum.

E die *Hannae Schmitz* natali secundâ in parte fabulae indicato (die 21. m.Oct. a.1922) potest concludi primam partem agi annis 1958-59 necnon *Michaelem Berg* natum esse m.Iulio a.1943.

Secunda pars

¹ *transvia, -ae f. orig. Straßenbahn; angl. tramway.

Secunda in parte narrantur ea, quae facta sunt septem annis postea. Michael in universitate studiorum iurisprudentiae studens pernoscendae cum commilitonibus visit causam iudicalem ad scelera bellica pertinentem, qua accusantur mulieres custodissae quondam partis cuiusdam adiunctae ergastuli concentrationis Osvecimiensis². Mulieribus obicitur, quod altero bello mundano exeunte inter iter quoddam mortiferum captivas in ecclesiam inclusas post impetum bombarium portam non aperientes illas ibidem reliquerint, ut vivae comburerentur. Michael vehementer stupens agnoscit unam e reabus esse *Hannam Schmitz*. Îdem causam in dies maiore cum attentione observat nullum diem agendi praetermittens. Hannae praeter mulieres in ecclesiâ flammis interfectas etiam obicitur, quod particeps fuerit selectionum, quibus operariae ergastuli adiuncti infirmissimae quaeque in cellas gasificas mitterentur ideoque ad mortem darentur certissimam.

In causâ iudiciali etiam Iudaea testatur, quae cum matre incendium ecclesiae evasit unica. Quae recordatur Hannam favisse captivis, quae sibi recitarent. Michael sollicitus animadvertit et Hannam ipsam et eiusque defensorem agendo magis magisque efficere, ut ea videatur culpam contraxisse omnium maximam. Exempli gratiâ Hanna unica est rea, quae non neget se facinora commisisse. Corrae autem Hannam criminantur fuisse ducem et de incendio ecclesiae scripsisse relationem falsatam, qua aliae inculparentur. Iudex cum iussurus sit inter se comparare chirographa, Hanna confitetur se ipsam scripsisse relationem. Nunc demum Michael ex iis, quae cum Hannâ expertus est, concludit illam neque legendi neque scribendi esse peritam. Hac re in difficultatem animae compellitur: Scit quidem Hannam non potuisse commisisse facinus, quod confessus sit, sed non certo scit, num et quomodo interpellanda sit causa iudicialis. Tandem consulit patrem suum professorem philosophiae. Is Michaelem monet, ne laedat reae dignitatem eo, quod clam illâ iudicem certiolem faciat de mulieris analphabetismo, sed suadet, ut cum illâ colloquatur. At Michael verecundatur Hannam convenire. In vicem huius rei visit ergastulum concentrationis Aulæ Strutianae Natzvillense³. Convectione petitâ abducitur a viro autoraedam gubernante, qui olim fuit militiae Germanicae praefectus, qui acerbissimo cum contemptu hominum dicit auctores holocausti nihil fecisse nisi opus suum sibi mandatum nec ullâ cum animi commotione miseriam hominum acceperint, quos interficerent. Cum Michael ex illo quaerat, num ipse particeps fuerit talium homicidiorum, ex autoraedâ expellitur.

Denique Michael animo parum firmo statuit, ne interpellet et causâ iudiciali finitâ Hanna pro reâ maximê noxiâ habita damnatur ad

² Osvecimia, -ae f. Auschwitz.

³ KZ Natzweiler-Struthof

custodiam perennem, cum correae damnentur ad custodiam brevioris tantum temporis. Quamvis Michael ab Hannâ animo et corpore seiunctus sit, tamen patefit, quam vehementer illa, quae cum hac muliere adulescens expertus sit, adhuc ad eum valeant. Maximê Michael vexatur somniis eroticis, in quibus in locum mulieris amatae supponitur custodissa ergastuli concentrationis.

Tertia pars

Studiis iurisprudentiae finitis Michael Berg inchoat referendariatum et in matrimonium ducit Getrudem commilitonem, quacum habet filiam. Postea fit historicus iuris, quia causam illam iudicalem recordans neque mente fingere potest se esse defensurum neque accusaturum neque iudicaturum. Cum uxore divortium facit neque res amatoriae cum aliis mulieribus in itae feliciter succedunt, quia semper illas comparat cum Hannâ. Eam, postquam per septem iam annos in custodiâ est, Michael petit accedendam. Ritu recitandi denuo inchoato Hannae in custodiam degenti mittit phonocasetas. Quibus autem usa Hanna suo Marte in custodiâ discit legere et scribere. Ea Michaeli mittit epistulas, quibus ille non respondit.

Duodeviginti annis custodiae transactis cum appropinquet, directrix custodiaria Michaeli scribens rogat, ut se adiuvet Hannam societati denuo associantem. Quamquam scrupulis vexatur, Michael omnia ad hanc rem necessaria praeparat et Hannam unâ septimanâ ante diem dimissionis visitat in custodiâ degentem. Ibidem Michael sibi videtur oppositus esse "mulieri anili". Hanna sentit eius animum a se valdê remotum esse, sed unus alteri narrat de vitâ ab alterius tam vehementer diversâ. Vespere ante dimissionem Michael postremo cum Hannâ telephonans stupet, quod mulier de suâ consilia excogitandi cupiditate iocans sit voce perquam iuvenili. At cum Michael Hannam e custodiâ sit abducturus, Hanna est mortua: Quae in cellâ suâ laqueo se suspendit. Directrix custodiae Michaelem in Hannae cellam introducit, ubi is videt libros hominum, qui holocauston superaverint necnon photographema ex actis diurnis exsectum, in quo se ipsum abiturientem videt. Michael audit Hannam per longum tempus studuisse conspectui corporis colendo necnon a ceteris captivis magnam habuisse auctoritatem. At his annis praeteritis illam magis magisque se retinuisse seque neglexisse. Directrix Michaeli narrat, quantum phonocasetae ad illam valuerint, sed interrogat, cur is Hannae numquam scripserit. Denique directrix Michaeli tradit pecuniam, quam Hanna compersit, eidemque recitat Hannae testamentum.

Michael autem ultimam Hannae voluntatem secutus pecuniam tradere vult illi mulieri Iudaeae testi causae iudicialis. Eadem autem recusat, quin

ipsa hanc pecuniam accipiat, sed inter eam et Michaelem convenit, ut vir in nomine Hannae pecuniam tradat organisationi alicui Iudaicae, quae spectet ad analphabetismum impugnandum.

Receptio Recitatoris scholaris

Fabula *Recitatoris* legenda inest ordini studiorum gradûs secundarii primi necnon secundi variarum Germaniae terrarum foederalium (velut Saxoniae inferioris, Saxoniae, Thuringiae, Rhenaniae-Palatinatus, Berolini, Brandenburgi, Hassiae, Rhenania-Vestfaliae).

Quomodo critici iudicaverint de Recitatore

Maxima pars criticorum *Recitatorem* laudaverunt. Praedicabatur Bernhardi elocutio subtilis, modus narrandi directus necnon ratio, qua auctor memoriam temporis transacti dolorosam retractando superavisset.

Rainer Moritz (*Die Welt*, d.15. m.Oct. a.1999) verbis extulit, hac fabulâ „contrarietatem vitae privatae rerumque politicarum duci ad absurdum“. *Werner Fuld* (*Focus*, d.30.m.Sept. a.1995) *Recitatorem* tractans scripsit, „si quis verê sciret narrare, ei necessarium non esse magna themata tractare molestâ cum sermonis redundantiâ“.

Alii autem graviter vituperaverunt *Bernhardi Schlink* rationem scelera socialismi nationalis describendi, qua dixerunt historiam male revideri aut falsari. *Ieremias (Jeremy) Adler* in ephemeride *Süddeutsche Zeitung* verbis extulit *Bernhardum Schlink* scripsisse „pornographiam cultualem“ („*Kulturpornographie*“) eo, quod libro suo deminueret vim „causarum praecipuarum culpaе et responsabilitatis necnon quaestionis, qua perscrutanda esset, quatenus inter se haberent potestas privata et publica“. *Schlinkium* „nimis simplicem reddere“ historiam ideoque lectorem cogere, ut is scelera nacistarum sentiret esse excusanda quamvis nullo modo essent excusabilia.

At e contrario *Bernhardus* ipse a diurnario ephemeridis „*Frankfurter Allgemeinen Zeitung*“ interrogatus graviter refutavit interpretationes *Recitatoris* sui falsas, quae sequuntur: Se nequaquam sentire -

- *Hannam Schmitz* culpâ vacare, quia nesciret legere et scribere,
- homines si modo essent eruditi, esse etiam bonis moribus,
- *Hannam Schmitz* culpam suam intellexisse et culpâ purgatam esse eo quod didicisset legere.

Recitator extra Germaniam quam bene accepta sit

Recitator Schlinkianus unus ex perpaucis libris Germanicis est, qui in Americâ optimê venditus sit. Recitator in 40 linguas conversus primus fuit liber Germanicus, qui assecutus est indicis librorum ephemeridis *New York Times* locum primum. In USA milio ferê exempla editionis palmaris Recitatoris vendita sunt, praesertim cum *Oprah Winfrey* moderatrix emissionis televisoriae, c.t. *Book Club*, annuntiavisset Recitatorem a se tractatum iri.

Fabula Recitatoris ad cinema redacta

Annis 2007 et 2008 fabula Schlinkiana magno cum successu edita redacta est ad cinema anglophonicum, c.t. ***The Reader***. Scaenas dissignavit Stephanus (Stephen) Daldry Britannus dissignator theatricus et cinematicus, cum David Hare eiusdem compatriota fabulam ad visificium⁴ cinematêi⁵ adaptaret. Iidem Britanni iam cooperati erant fabulam romanicam, c.t. ***The Hours – Von Ewigkeit zu Ewigkeit*** (a.2002) ad cinema redigentes.



Ecce *David Kross*, qui personam gessit *Michaelis Berg* adolescentis, m.Febr. a.2009 Berolini versans.

Ut realia fabulae cognosceret, *Stephanus Daldry* m.Iulio a.2007 Berolinum visit et causam iudicalem homicidalem ibi in iudicio criminali agendam spectavit.

⁴ *visificium, -i n. angl. screen; theod. Leinwand

⁵ *cīnematēum, -ēi n. angl. cinema; theod. Kino

Ex d.19. m.Sept. a.2007 **Berolini** et **Görlitz** in urbibus factae sunt primae operae cinematographicae. Ad personas praecipuas gerendas electi erant actrix *Nicole Kidman* Australiana, quae iam a. 2002 unâ cum *Stephano Daldry* et *Davide Hare* in fabulâ, c.t. *The Hours*, tractanda cooperata pro personâ *Virginiae Woolf* gestâ acceperat praemium Oscarianum; porro electus erat Germanus histrio iuvenis **David Kross**, qui antea personam gesserat in cinemate, c.t. **Knallhart**.



Ecce *Kate Winslet*, quae personam gessit *Hannae Schmitz*, m.Ian. a.2007 particeps Sollemnitatis cinematis internationalis, quae facta est in *Palm Springs*.

At *Nicole Kidman* ineunte mense Ianuario anni 2008 annuntiavit se gravidam factam non participem fore laborum cinematographicorum. Tum fieri potuit, ut *Kate Winslet* actrix Britannica in illius locum supponeretur. Ab mense Iunio ineunte usque ad medium Iunium anni 2008 ultimae scaenae in urbibus *Coloniae Agrippinensi* et *Görlitz* sunt cinematographatae. Actrix *Kate Winslet* pro personâ Hannae in cinemate gestâ d.11. m.Ian. a.2009 accepit praemium Oscarianum categoriae, quae est „Optima actrix praecipua“.

Ceteri histriones in cinemate Recitatoris personas gerentes sunt: *Volker Bruch*, *Vijessna Ferkic*, *Karoline Herfurth*, *Bruno Ganz*, *Susanne Lothar*, *Matthias Habich*, *Burghart Klaußner*, *Hannah Herzsprung*, *Alexandra Maria Lara*, *Ralph Fiennes*. Productores responsables fuerunt *Anthony Minghella* et *Sydney Pollack* ambo praemio Oscariano exornati (qui interim mortui sunt) necnon *Scott Rudin* et *Robert Fox* productores cinematis, c.t. *The Hours - Von Ewigkeit zu Ewigkeit*. Cinema Recitatoris primum omnium monstratum est d.3. m.Dec. a.2008 in cinemateo Neo-Eboracensi, quod appellatur „*Ziegfeld Theatre*“. In Germaniâ idem cinema primo exhibitum est d.26. m.Febr. a.2009.

VOCABULA AUTURGICA (II)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM –
IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA
ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA
PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO
ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA
– XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas AUTURGIAE partem alteram (II) Latinis vocabulis ditificatam.

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	Latinē
p.309 Hobel	plane	rabot	cepillo	pialla	runcina, -ae f.
Hobeisen- Stellschraube	depth-of-cut adjustment knob	molette de réglage de la saillie	calibre de ajuste de profundidad de corte	manopola di regolazione dell'aggetto	*rēgulāmentum lāminae
Griff	handle	poignée	empuñadura	impugnatura	manubrium, -ī n.
Seitenverstell- hebel	lateral adjustment lever	levier de réglage latéral	nivelador	leva di regolazione laterale	vectculus rēgulātiōnis laterālis
Keilhebel	wedge lever	levier du bloc	palanca de la cuña	leva di serraggio	vectculus cuneī
Arretierhebel	lever cap	bloc d'arrêt	palanca de bloqueo	blocco d'arresto	vectculus retināx [2. SYMM.epist.1,47,1]
Handgriff	knob	pommeau	pomo	pomolo	bullā, -ae f.
Stirn	toe	nez	puntera	punta	nāsus, -ī m.
Klappe	cap iron	contre-fer	contrahoja	controferro	valvula, -ae f.
Hobeisen	blade	fer	hoja	ferro	lāmina runcinae
Spann- schraube	frog- adjustment screw	réglage de l'angle	tornillo de ajuste de ranilla	vite di regolazione	cochlea *rēgulātōria
Sohle	sole	semelle	suela	piastra d'appoggio	solea, -ae f.
hinteres Ende	heel	talon	talón	tallone	calx, calcis f.
Langhobel	jointer plane	varlope	garlopa	pialla lunga	runcina longa
Flachfeile	file	lime	lima	lima	līma, -ae f.
Stemmeisen	wood chisel	ciseau à bois	escoplo	scalpello da falegname	scalprum fabrīle
Raspel	rasp	râpe	escofina	raspa	scobina, -ae f. [VARRO ling.7,68 ; TERT. apol.12 ; PLIN.11,180] rādula, -ae f. [COLUM.12,18,5]
Griff	handle	manche	mango	manico	manubrium, -ī n.
Schaft	tang	soie	espiga	codolo	scāpus, -ī m.
Schneiden	teeth	dents	dientes	denti	dentēs, -ium m.pl.
p.310 Bautisch- lerei: Greif- und Spannwerk- zeuge	carpentry: gripping and tightening tools	menuiserie: outils pour serrer	carpintería: herramientas para apretar	carpenteria: attrezzi di serraggio	rēs tīgnāria: īnstrūmenta apprehendendī et retinendī
Zangen	pliers	pincés	alicates	pinze	forcipēs
Kombizange	slip joint pliers	pince à joint coulissant	pinzas universales	pinza a giunto scorrevole	forcipēs ūniversalēs
Griff	handle	branche	mango	branca	manubrium, -ī n.
gekrümmte Greifbacke	curved jaw	mâchoire incurvée	mordaza curva	ganascia curva	maxilla incurvāta
Gleitfuge	slip joint	joint à coulisse	pivote móvil	giunto scorrevole	artus mōbilis

Wasser-pumpenzange	water pump pliers	pince multiprise	alicates pico de loro	pinza regolabile	forceps rēgulābilis
Verstellnut	adjustable channel	cran de réglage	canal de ajuste	cerniera regolabile	canālis *rēgulātōrius
Bolzen	bolt	boulon	perno	bullone	bullā, -ae f.
gerade Greifbacke	straight jaw	mâchoire droite	mordaza recta	ganascia diritta	maxilla rēcta
Mutter	nut	écrou	tuerca	dado	mātrīx, -īcis f. [cfr Scheller, 2.Aufl.1789, 1948: (cochleae) matrix Schraubenmutter] cochlea fēmina [cfr Bauer 1806]; *pericochlion, -ī n. [cfr Liddell-Scott, p.1377, s.v. περικόχλιον, τό (κοχλίας) <i>female screw</i> , HELIOD.ap.Oribas. 49.4.66; cfr Wendt, Langenscheidts Taschenwörterbuch Neugriechisch-Deutsch Deutsch-Neugriechisch, Berlin 1982, p.372:περικόχλιο(v) (Schrauben) mutter]
Griff	handle	branche	mango	branca	manubrium, -ī n.
Grip-Feststell-, Festklemmzange	mole wrench	pince-étau	alicates de presión	pinza a scatto	forceps fixōria
Feder	spring	ressort	resorte	molla	elater, -ēris m.
Hebel	lever	levier	seguro	leva	vectculus, -ī m.
Verstellung	adjusting screw	vis de réglage	tornillo de ajuste	vite di regolazione	cochlea *rēgulātōria
Löshebel	release lever	levier de dégagement	liberador del seguro	leva di sbloccaggio	vectculus *resolūtōrius
Niete	rivet	rivet	remache	rivetto	clāvulus, -ī m.
gezahnte Greifbacke	toothed jaw	mâchoire dentée	mordaza	ganascia dentata	maxilla dentāta
Unterlegscheiben	washers	rondelles	arandelas	rosette	lāmellae suppositōriae
Unterlegscheibe	flat washer	rondelle plate	arandela plana	rosetta piatta	lāmella plāna
Federring	spring washer	spring washer	rondelle à ressort	arandela de presión	lāmella elatēris
außengezahnte Fächerscheibe	external tooth lock washer	rondelle à denture extérieure	arandela de presión de dientes externos	rosetta a dentatura esterna	lāmella dentātūrae externae
innengezahnte Fächerscheibe	internal tooth lock washer	rondelle à denture intérieure	arandela de presión de dientes	rosetta a dentatura	lāmella dentātūrae

			internos	interna	internae
p.311 (Schrauben) schlüssel	wrenches	clés	llaves	chiavi	clāvēs, -ium f.pl. (cochleārēs)
Rollgabel- schlüssel	adjustable spanner	clé à molette	llave inglesa	chiave a rullino	clāvis (cochleārum) rēgulābilis
feste Backe	fixed jaw	mâchoire fixe	mordaza fija	ganascia fissa	maxilla fixa
bewegliche Backe	movable jaw	mâchoire mobile	mordaza móvil	ganascia mobile	maxilla mōbilis
Rädelung	thumbscrew	molette	tornillo	rullino	*rotātūra, -ae f.
Griff	handle	manche	mango	manico	manubrium, -ī n.
Ratschen- ringschlüssel	ratchet ring spanner	clé polygonale à cliquet	llave de estrella hexagonal	chiave poligonale a cricco	clāvis stēllāta *polygonica
offener Doppelring- schlüssel	flare nut spanner	clé polygonale à têtes fendues	llave de estrella abierta	chiave poligonale doppia ad anello aperto	clāvis stēllāta aperta
Doppelring- schlüssel	ring spanner	clé polygonale	llave de estrella común	chiave poligonale doppia	clāvis stēllāta commūnis
Doppelmaul- schlüssel	open-ended spanner	clé à fourches	llave de tuercas española	chiave a forchetta doppia	clāvis bifurcāta
Maul- Ringschlüssel	combination spanner	clé mixte	llave combinada	chiave combinata	clāvis combināta
Knarre	ratched socket wrench	clé à douille à cliquet	llave de carraca	chiave a bussola a cricchetto	clāvis crepāx
Steck- schlüsselsatz	socket set	jeu de douilles	juego de casquillos	set di bussole	synthesis capsulārum
Muttern	nuts	écrous	tuercas	dadi	mātrīcēs
Sechskant- mutter	hexagon nut	écrou hexagonal	tuercas hexagonal	dado esagonale	mātrīx *hexagonica
Hutmutter	cap nut	écrou borgne	tuercas cerrada	dado cieco	mātrīx pileāta
Flügelmutter	wing nut	écrou à oreilles	tuercas de mariposa	galletto	mātrīx ālāta
Schrauben	bolts	boulons	pernos	bulloni	cochleae
Schrauben- bolzen	bolt	boulon	perno	bullone	cochleae
Kopf	head	tête	cabeza	testa	caput, -itis n.
Schrauben- bolzen mit Ansatz	shoulder bolt	boulon à épaulement	perno con collarín	bullone di spallamento	cochlea *scāpulāta
Gewindeschäft	threaded rod	tige fileté	rosca	gambo filettato	scāpus rūgātus [cfr PLIN.nat.18,317 māli rugae (König/ Hopp/ Glöckner,Plinius-Natur- kunde, B.XVIII, Darmstadt 1995, S.193: „ein Gewinde am Preßbalken“)]
Ansatz	shoulder	épaulement	collarín	spallamento	scapula, -ae f.

**Haec vocabula auturgica
excerpsit et in Latinum convertit
Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA AUTURGICA (III)

**HANC EPISTULAM LEONINAM
QUINQUAGESIMAM**

EL 50

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Saturni, 10.º m. Novembris, a.2012

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>